

**Tentamen medicum inaugurale de scarlatina : quod, annuente summo numine : ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Georgii Baird, SS.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti : nec non amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis, eruditorum examini subjicit / Michael Lovell Hodge, Antiguensis, Societ. Reg. Med. Edin. Soc. Extraord.**

### **Contributors**

Hodge, Michael Lovell.  
University of Glasgow. Library

### **Publication/Creation**

Edinburgh, 1795.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ne384emv>

### **Provider**

University of Glasgow

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>





---

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

SCARLATINA.

---

INSTITUTIONAL MEDICUM  
ANNUAL

SCARLETTINA

GEORGE BAIRD, M.D.

THE GREAT DOCTORS

MICHAEL POWELL HODGE

ROBERT AND WARD, EDIS.  
AND EXTRAORD.

THE GREAT DOCTORS

THE GREAT DOCTORS

EDWARD G. ...  
THE GREAT DOCTORS

THE GREAT DOCTORS

AVUNCULO SUO,  
ET AMICO CARISSIMO,  
LANGFORD LOVELL,

ARMIGERO,  
ANTIGUENSI;

NECNON,  
VIRO CELEBERRIMO,  
REVERENDO  
VICESIMO KNOX, D. D.

HOC OPUSCULUM,  
GRATO ANIMO,  
CONSECRAT  
MICHAEL LOVELL HODGE.

AVVINCULO SEC.

LT. AMICO CARISIMO,

LANTGORD LOVELL

ARMIGERO,

ANTIGUENSIS,

NECOK,

VINO CELLERINO,

REVERENDO,

VICISSIMO KNOX D.D.

HOC OTUSCULUM

GRATO LAMINO

CONSECRAT

MICHAEL LEVILL HODGE

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

SCARLATINA.

---

**M**ORBUM, qui Scarlatina appellatur,  
D. CULLEN inter Exanthemata loca-  
vit, eumque ita definivit :

“ Synocha contagiosa,—quarto morbi die,  
“ facies aliquantum tumens ; simul in cute  
“ passim rubor floridus, maculis amplis tan-



“ dem coalescentibus, post tres dies in squa-  
 “ mulas furfuraceas abiens; superveniente  
 “ dein sæpe anasarca.”

Sub hoc genere duæ species recensentur :

I. Scarlatina *simplex*, nullâ comitante cy-  
 nanche.

II. Scarlatina *cynanchica*, cum cynanche  
 ulcerosâ.

His verò, ut nobis videtur, addenda tertia  
 est :

III. Scarlatina *maligna*, cum cynanche  
 malignâ.

Hanc ultimam speciem sub titulo Cynan-  
 ches Malignæ, ad Phlegmasias CULLEN retu-  
 lit; eamque pro morbo diverso, utpote ab  
 diversis

diversis causis pendente, a Scarlatinâ habet. Utrum rectè an non, multum inter Medicos disputatum est : Hodie, autem, plerique auctores consentiunt eum unum eundemque morbum esse ; et ex eâdem specifica contagione oriri ; variasque formas, symptomataque varia, non nisi pro ægrorum conditionibus, tempestatibusque variis exhibere.

CULLEN quidem signa propria, quibus morbi distingui possint, conatus est suppeditare ; frustra autem. Parum igitur interest, seu morbum sub nomine Cynanches Malignæ, sive Scarlatinæ, tractetur. Posterius antefero, quia mihi occasio erit, formam mitissimam morbi, qualis in his diebus, vix aut ne vix quidem, unquam observatur, describere.

## HISTORIA.

NULLIS anni temporibus non sese ostendit Scarlatina. In autumno, verò, vel ineunte hyeme, maximè graffatur. Nulli ætati, sexui, temperamento, parcit. Fœminas tamen potius quam viros, juvenes quam senes, debiles quam robustos, invadit. In ægris, tempestatibusque diversis, præ se fert diversam speciem; nunc indolis adeo benignæ est, ut nullis etiam medicamentis adhibitis, discedat; aliis tam ferox sævit, ut citò hominem, de medio tollat.

Eam venturam prænunciant febrilia signa: afficitur homo languore, lassitudine, dolore capitis; postea erumpunt per totam superficiem corporis maculæ, parvæ, rubræ;  
“ crebriores,

“ crebriores, et multò latiores, magisque ru-  
“ bentes, at non perinde uniformes, ac sunt  
“ illæ quæ morbillos constituunt: post duos  
“ tresve dies evanescent, restant furfuraceæ  
“ quædam squamulæ adinstar farinæ, corpori  
“ inspersæ, quæ ad secundam aut tertiam  
“ vicem se promunt, conduntque vicissim.”

Hanc quidem formam morbi mitissimam, a SYDENHAMO descriptam, CULLEN se nunquam vidisse dicit, quanquam per decursum quadraginta annorum, sexies vel septies in Scotiâ epidemicè grassantem observârat.

In nostris diebus, symptomatibus longè gravioribus stipatur Scarlatina: Sub initium morbi, afficitur homo ægritudine quâdam totius corporis; horret, rigetque, calet, motum averfatur; deinde de capitis dolore, anxietate circa præcordia, et vomendi cupiditate, quæ tandem aliquando usque ad vomitum augetur,

augetur, conqueritur. Circa idem tempus, morbo ingravescente, molestia quædam in faucibus sentitur. Hæ inspectæ unâ cum tonsillis, et uvula, tument et rubent; rigor simul in musculis colli adest, et deglutitio ægrius fit.

Rebus ita se habentibus, die a primo incursu morbi “ plerumque tertio, maculæ  
“ plus minus latae, ex papulis innumeris,  
“ perexiguas, confertis, vix eminentibus, et  
“ obscure rubentibus, in cute cum pruritu  
“ erumpunt, sensimque serpentes inter se  
“ confluunt.”

Primum in faciem, postea verò in cervicem, pectus, brachia, tandemque in totam corporis superficiem, diffunduntur: interdum quasdam partes, extremitates præcipuè, insigniter occupant; atque manus digitique maximè tument, rubent, et tactu dolent.

Eruptione factâ, nihil remittitur pyrexia ; contra, intenditur : Arteriarum pulsus pleni-ores et celeriores fiunt.

Affectus faucium nunc exacerbatur, et mox lingua multo viscido muco illita est ; atque fauces, velum pendulum palati, et uvula, maculis coloris albescentis obducuntur ; his abrasis, ulcuscula pus bonum effudentia, planè perspiciuntur.

Tempus, quo se eruptio monstrat, durat, discedit, admodum incertum est : aliquando, duos tresve dies restat, dein cum desquamatione cuticulæ evanescit. Eodem tempore tumor, et rubor faucium, aliarumque partium, subsidunt ; ulcuscula crustosam speciem induentes, citius sanantur ; atque æger, nisi eum, ut sub morbi finem aliquando fit, corripit anasarca, remediis quidem citò cessura, ad integram valetudinem redit.

Hoc modo aliquando faustè finitur Scarlatina ; interdum, verò, exitialis est ; et cum sibi assumferit formam Cynanches Malignæ, vix aut ne vix quidem ullis medicamentis pellitur.

Accessionem hujus speciei Scarlatinæ indicant,—horror, cum calore vehementi alternans, donec hic continuus evaserit ; vertigo ; dolor capitis ; brevi accedit musculorum colli rigor ; raucedo, et nonnunquam tuffis ; vomitus, et in infantibus præsertim, crebræ dejectiones adfunt : Facies aliquando pallida est ; sæpius autem tumida, et rubore suffusa : Oculi inflammati et aquosi apparent : Æger etiam ab accessione morbi tristis ; et propter debilitatem, lipothymiâ periclitatur : Pulsus arteriarum sunt celeres, plerumque debiles, aliquando abnormes ; rarò validi et duri.

Urina primò cruda et serosa; morbi verò progressu, quasi bile tincta.

Pyrexia, omniaque alia symptomata, sub vespere exacerbantur: De quà re sic loquitur HUXHAM: "How slight soever the disorder might appear in the day-time, at night the symptoms became greatly aggravated, and the feverish habit very much increased; nay, sometimes a delirium came on the very first night; and this exacerbation constantly returned in the evening through the whole course of the disease. Indeed, when it was considerably on the decline, I have been often pretty much surpris'd to find my patient had pass'd the whole night in a phrenzy, whom I had left tolerably cool and sedate in the day."



Brevi post accessionem morbi, molestia gutturis ingravescit; fauces inspectæ rubore vivido et tumore afficiuntur; glandulæ quoque parotidum, maxillarumque, sæpè maximè tument, rubent, tactuque dolent. Tandem fauces, palatum, uvula, escharis coloris albescentis, vel cineritii obducuntur; hæ ulcuscula fœtida, sanie scatentia tegunt. Membrana narium mucosa sæpius inflammatur, et coryza acri excoriatur.

Lingua ferè humida; ejus apex albidus, sed radix et latera, fordibus flavis vel fuscis obducta.

Die a morbo inchoato circiter secundo, tertio, aut quarto, eruptio comparet, quam his verbis HUXHAM aptè descripsit: “ In  
 “ general, a very considerable efflorescence  
 “ broke out on the surface of the body, par-  
 “ ticularly in children, and it most com-  
 “ monly

“ monly happened the second, third, or  
“ fourth day ; sometimes it was partial ;  
“ sometimes it covered almost the whole bo-  
“ dy, though very seldom on the face ; some-  
“ times it was of an erysipelatous kind, some-  
“ times more pustular ; the pustules were  
“ frequently very eminent, and of a deep  
“ fiery red colour, particularly on the breast  
“ and arms ; but oftentimes they were very  
“ small, and might be better felt than seen, and  
“ gave a very odd kind of roughness to the  
“ skin. The colour of the efflorescence was  
“ commonly of a crimson hue, or as if the  
“ skin had been smeared over with juice of  
“ raspberries, and this even to the fingers  
“ ends : The skin appeared inflamed and  
“ swollen as it were, and the arms, hands, and  
“ fingers, were often evidently so, and very  
“ stiff, and somewhat painful. The crimson  
“ colour of the skin seemed indeed peculiar  
“ to this disease.”

Eruptione factâ, aliquando febrilia signa ; vomitus ; alvi profluvium ; affectusque faucium, levantur ; atque æger, prorumpente sudore, et urina sedimentum deponente, paulatim convalescit : alias, verò, quamvis affectus faucium et diarrhœa mitigentur, pyrexia tamen intenditur, et delirium ferox superveniens, de ægro actum est.

Non rarò, autem, æger aliquamdiu vivit ; atque morbus suum cursum tenet : Affectus faucium tandem valdè exacerbantur ; maculæ antea albidæ coalescunt, et ulcera livida et gangrænosa obtegunt ; ex his effunditur humor acris, fœtidus, qui in ventriculum delapsus, vomitionem, tormina, et frequentes dejectiones ciet. Stillat quoque ex naribus sanies, acer adeo ut membranam mucosam labiaque corrodat.

Nonnunquam

Nonnunquam gangræna per asperam arteriam usque ad pulmones serpit ; spiritusque graveolens, et putridus emittitur.

Vox, siquidem vocem edere potest æger, raucifona est, quasi guttur venereis ulceribus afficiatur.

Aliquando hæmorrhagiæ ex utero, ano, vel naribus, ab initio morbi profunduntur.

Cum his accumulatis malis non diu luctari potest æger ; morti succumbit.

CAUSÆ

## CAUSÆ REMOTÆ.

IN usu est causas remotas in Prædisponentes, et Occasionales, seu Excitantes, dividere.

## CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Viam sternit Scarlatinæ omnis morbus antecedens, qui hominem imbecillum et languidum reddit; hinc potius convalescentes, quam integrâ valetudine fruentes, occupat.

Sexus quoque muliebris, quam virilis, magis ei patet.

In pueritiâ, verò, ut alia exanthemata, mortales sæpius tentat; nec multos matu-  
ram

ram ætatem prius attingere quam invaserit,  
finit,

## CAUSA OCCASIONALIS.

Hæc est contagio specifica, cujus origo,  
natura, modusque operandi, omninò latet.

## DIAGNOSIS.

CUM Scarlatinam, et Cynanchem Malig-  
nam pro uno eodemque morbo habeamus,  
summas difficultates evadimus, quibus ii im-  
plicati sunt, qui eos distinctos morbos esse  
existimârunt, et signa determinata caracte-  
ristica suppeditare conati sunt.

Argumentis

Argumentis parum stabilibus, speciosis tamen, nititur eorum opinio.

Affirmant, enim, Scarlatinam non nisi semel tantum in vitæ decursu aliquem afficere.

Huic opinioni adversatur experientia GREGORII, (auctoris satis spectabilis), qui scarlatinam recidivam observavit.

Alii distinctionem fundant in hoc, quod Scarlatina, phlogistica; cynanche, verò, maligna putridâ, diathesi, comitatur: quod idem, ut bene notum est, in variolis accidit. Nemo, tamen, hodie negat variolam vulgarem et confluentem, ex eadem contagione oriri.

De multis aliis, ut opinor, futilibus, quippe quæ certè ad differentiam genericam stabilendam

stabiliendam parum valeant, supersedeo loqui.

Nunc affectus, quibuscum confundi potest Scarlatina, animadvertere convenit.

Cynanche tonsillaris Scarlatinam primo accessu non parum refert. Dignoscitur tamen causis remotis, tam excitantibus, quam prædisponentibus. Scarlatina a contagione semper, Cynanche tonsillaris nunquam, sed plerumque a frigido aëre in fauces admisso, vel collo, aliisve corporis partibus applicato, oritur. Hæc mares, validos, sanguineos præcipuè invadit : Illa sexum muliebrem, debiles, hinc eos qui morbis præcedentibus laboraverunt, adoritur. Denique, efflorescentia, quæ in Scarlatinâ tertium circiter diem comparet, nos certiores de morbi naturâ facit.



Aphtha infantum distinguitur,—linguâ tumidiusculâ; escharis ejus margines, et totum os internum obsidentibus; febre leni, non contagiosâ, affectui oris superveniente.

Gastritis erythematica, pluribus symptomatibus quæ Scarlatinæ nonnunquam sese associant, aliquando stipatur: nempe, anorexia, nausea, vomitu; nonnunquam etiam dejectionibus frequentibus, anxietate, siti, deglutitione difficili, et faucium rubore: hinc difficillimè distinguitur. Cùm, verò, missio sanguinis in gastritide idoneum remedium est; sed in illo Scarlatinæ stadio, quod maximam similitudinem gastritidi fert, pessimos effectus edit; diagnosi, curationis causâ, valdè necessaria est.

Ad hanc formandam, ordinis rationem quo signa comparuerint, habere debemus: dignoscuntur enim morbi symptomatibus,  
quæ

quæ ab initio, vel ventriculum, vel fauces affectas monstrant. Si primùm et maximè conquestus fuerit æger de ventriculo, aliaque signa, præsertim dolor, et rubor faucium postea se ostenderint, afficitur gastritide : Contrà, Scarlatina adest, si molestia, et rubor faucium, alia symptomata præcefferint. Ingesta etiam quædam acria, pro causis occasionalibus agnoscit gastritis.

Haud pretium operæ videtur hic discriminare Scarlatinam inter, et Cynanchen trachealem ; quamvis enim illæsiò respirationis instrumentorum aliquando in Scarlatinâ fit, attamen hæc haud prius occurrit quam eruptio, quâ semper comitatur Scarlatina, naturam morbi designaverit.

## P R O G N O S I S.

RATIO indolis epidemici regnantis, ut certius de morbi eventu præfagire possimus, semper habenda est.

Scarlatina, cum lenis est, qualem SYDENHAMUS descripsit, omninò periculo vacat; etiam quum faucium gutturisque affectu comitatur, sæpissimè eventum felicem habet: quem, quidem, promittunt sequentia: Si nec pyrexia vehemens fit, nec gravis vomitus urgeat; si proprio die, scilicet ferè tertio, quartòve, efflorescat cutis, et solito tempore desquametur. Observandum autem est, Scarlatinam usque ad desquamationem perductam, aliquando subitò recrudescente, et in pejus rueret.

Quò proprius vergit ad Cynanchen Malignam, eo periculofior.

Si fœdè halitus oleat, fi ulcufcula livida et gangrænofa evadant, in ultimo discrimine verfatur æger.

Malum quoque eft, fi eruptio, quæ citò in confpectum venerat, fubitò evanefcat ; fimulque intendatur pyrexia, et delirium fuper-veniat.

Semper periculofior eft Scarlatina in infantibus vel junioribus, quam in adultis.

## CURATIO

Pro diversis speciebus morbi variat.

Scarlatina *simplex*, nullâ comitante cynanche.

Hæc forma morbi adeo lenis est, ut vix medicamentis opus sit. Regimine idoneo, ut SYDENHAMUS docet, sæpissimè sanatur. Sufficiet, si æger a carnibus vel cibo ex iis confecto, et liquoribus generosis, abstineat; si ab aëre, vel nimis frigido vel calido, tutus fit; et alvus per laxantia, vel clysmata, modicè soluta teneatur.

Scarlatina

Scarlatina *cynanchica*, cum cynanche ulcerofâ.

Hujus speciei medela est,—diathesin inflammatoriam moderari; hoc efficitur, usû omni ex parte regiminis antiphlogistici; caro, et omnes liquores spirituosî circumcidendi; diætâ parcâ, tenui ex farinaceis, adhibita: Pro potu, aquosî, acidis immixtis, asfumantur, et succum ex omnibus fructibus acidulis maturisque, ad libitum hauriat æger. Omnia, quæ corpus incitare possunt, ut animi pathemata, lux nimia, omnis strepitus, calor, loquela, motus, evitanda sunt.

Non solum autem regimen antiphlogisticum observandum est; sed alia etiam remedia aliquando necessaria evadunt: et imprimis,

mis, *sanguinis missio*.—Hoc propter debilitatem, quæ postea sequitur, remedium anceps : si verò pyrexia vehemens fit ; tumor ruborque faucium magnus, et æger sanguine abundet ; parcâ manu sanguis e brachio detrahatur ; minimè autem sæpius repetatur, ne ægrum pessum det, et morbum Cynanches Malignæ formam induere faciat.

*Alvi Ductio*,—optimè perficitur laxantibus mitioribus, qualia sunt senna, cremor tartari ; vel clysmatibus : omnibus drasticis cautissimè evitatis.

*Emetica*.—Horum laudes omnes cecinerunt ; multimodis profunt ; sordes a faucibus abluunt, ventriculum exonerant, alvum movent, sudorem modicum universalem eliciunt, atque hinc febrilia signa comescunt. Antimonium tartarizatum, vinum antimonia-  
niale,

niale, et ipecacuanha, emetica sunt præ omnibus aliis commendata.

Affectui faucium gutturisque varia remedia accommodantur. Vapores humidi ore hausti, vasa relaxando, et sputum promovendo, inflammationem multum imminuunt.

*Gargarismata*,—ab initio ad finem usque morbi, cum multo fructu adhibentur: Præparantur ex aqua et lacte; ex infuso salviæ cum aceto et melle; et similibus.

Cum infantes excreare, vel gargarizare nequeant, multaque incommoda, a viscido mucosae fauces infascente, ferunt; vel etiam sæpè subitâ suffocatione periclitantur; forsan necessarium erit, parvulam spongiam, quâ absorbeatur materia purulenta, plumulæ af-



fixam, et aquâ calidâ, vel lacte madefactam, in os introducere, faucibusque maximâ curâ admovere, ne escharæ abradantur, atque nova ulcera facta sint.

*Diuretica*—per totum morbi decursum adhibeantur, præcipuè verò circiter ejus finem; quippe quæ hydropi, Scarlatinæ sequelæ, obstant. Idem quoque præstant diæta lautior, vinum, cortex Peruvianus; quæ morbo finito, et nulla diathesi phlogisticâ dominante, ad vires recuperandas assumi debent.

Scarlatina *maligna*, cum cynanche maligna.

Hæc semper periculosissima: prostratio virium, et summa debilitas etiam a primo ejus insultu

infultu occurrit : hinc omnes exinanitiones, ut fanguinis missio, purgatio alvi, cautissimè fugiendæ. Si alvus adstricta fit, laxantibus mitissimis, vel clysmatibus, solvetur. Acida vegetabilia, et omnia quæ diarrhœam inducant, prohibeantur. Emetica non nisi nausea, et vomitus spontaneus urgeat, adhibenda.

Confilia medendi sunt,

*1mo*, Vires ægroti sustentare, aut restituere.

*2do*, Quibusdam symptomatibus gravioribus obviam ire.

Ad prius efficiendum remedia præstantissima sunt, —Cortex Peruvianus, et vinum : vel conjunctim vel separatim, sumenda sunt.

Cortex

Cortex in substantia liberè detur ; si verò id fastidiat æger, sub aliis formis, vel decocti, vel junioribus, tinctus, ministretur. Si hæc etiam ventriculus recuset, sub forma clysmatum cortex adhibeatur.

Vinum Lusitanicum, vel id quod apud Britannos *Claret* appellatur, palmam omnibus aliis præripit ; vel per se, vel aquâ diluta, pro potu communi habeantur.

Victui lautiori ex sago, jusculo bovino, etiamque ipsâ carne indulgeat æger. Hoc autem semper in animo habere oportet, quod priusquam aliquid deglutiat, gargarizare opus est.

Gargarismata, et alia pro faucium affectu, ut supra commemorata, valde necessaria sunt.

Aërem fixum, qui in fauces trahitur, prodeffe nonnulli autumant.

Ad diarrhœam, quæ in hoc morbo sæpè ægrum vexat, sistendam, potio cretacea, extractum catechu, gummi kino, et opium in usu sunt.

Calor lecti, quoque, cursum humorum ad superficiem faciendo, ad hoc præstandum multùm adjuvat.

F I N I S.

Ad hunc finem, qui in hunc modum, pro-  
delle nonnulli autem.

Ad distentionem, que in hoc morbo saepe  
vixit, vixit, silendum, potio cretacea, ex-  
tractum caschee, gummi kiao, et opium in  
vino tinctum.

Labior tecti, prope, cursum humorum ad  
tuberis, tectis, ad hoc praestandum  
vixit ad hunc.

F I N I S









